

ANNO DOMINI MLXXXII.

# GALTERIUS

COGNOMENTO SAVEYR MELDENSIIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Callia christiana*, nov. edit., tom. VIII; pag. 1608 )

Galterius, dictus Saveyr, id est Sapiens, quod A disposuerat Bernerus prædecessor, at morte præventus adimplere nequiverat, fratribus cœnobii Lacellensis duo altaria donavit in villis Lacella et Vaira iv Kalendas Aprilis 1045, Henrici regis anno xvi, cuius placito pro monachis S. Medardi adversus Robertum Cociacensem subscrispsit anno 1047, ejusdemque diplomatis pro cella sancti Aigulsi cœnobio Sancti Petri Trecensis unienda, et pro canonice Carnotensis anno 1048. Eodem anno astitit concilio Silvanectensi, ubi restitutum et constitutum Sancto Medardo Castellum de Vico. Ab Henrico rege cum Wascelino de Chalinaco missus fuit anno 1050 in Russiam, ut Annam, regis Gerislonis illam, peteret in uxorem Henrici ipsius post prioris obitum, quod Russiae rex gratariter accepit. Detectioni corporum sanctorum martyrum Dionysii et sacerdotum ejus in aede Sandionysiana adfuit anno 1053. Sacro Philippi I regis anno 1059 interfuit, eodemque synodo Romanæ, ubi definita querela monachorum Sancti Albini adversus Vendocinenses, uno ex arbitris Galterio. Subscrispsit diplomati Henrici I regis pro restauratione Sancti Martini a Campis anno 1060. Memoratur in præceptis Philippi regis an. 1064 pro monachis Sancti Petri Senonensis, et 1066 pro cœnobio Sancti Nicasii. Interfuit dedicationi ecclesie Sancti Martini Campanensis, et subscrispsit diplomati Philippi regis pro eadem ecclesia anno 1067; eodemque anno litteris ejusdem Villani de la Chapelande S. Dionysio donatam confirmantis. In concilio Burdegalensi anno 1068 lectæ sunt ejus litteræ quibus testabatur causam de cella Credonensi in synodo Romana secundum Vendocinenses adversus monachos Sancti Albini a Nicolao papa fuisse definitam. Dedicationi Sancti Quintini Bellovacensis astitit anno 1069. Subscrispsit instrumento Gaufridi Parisiensis episcopi pro monachis S. Germani a Pratis anno 1070; diplomati

Philippi regis anno 1071 in concilio Senonensi confirmantis donatam ecclesiam Sancti Andreæ ab Hugone Trecensi ascetis Cellensibus, eodemque anno præcepto Burchardi, Corbelensis comitis, pro ecclesia S. Exuperii. Inter concilii Parisiensis, anno 1071 habiti, Patres annumeratus subscrispsit diplomiati Philippi regis omnia bona Ecclesiæ Compendiensis confirmantis. Concilio Senonensi adfuit anno 1080, eodemque Meldensi, in quo S. Arnulfus creatus es Suessionensis episcopus, amoto Ursione, et Lambertus Morinensis excommunicatus. Terram Morisarti Gauterio abbati et monachis Pontisarensibus circa id tempus approbavit. Subscrispsit judicio a Philippo rege lato apud Pisciacum die 6 Januarii anno 1082 in gratiam monachorum Sancti Germani B aduersus Hugonem militem, cognomento Savellum. Sigillum quoque apposuit suum chartæ Richeris archiepiscopi Senonensis ecclesiam Sancti Baldi monasterio Sancti Remigii ejusdem urbis concedentis anno xxiii Philippi regis. Galterii obitus notatur xiv Kalendas Novembbris anni 1082 in Chronicis S. Petri Vivi. In Necrologio Meldensi commemoratur hoc modo : ix Kalendas Novembbris obiit Galterius Saveyr, Meldensis episcopus, qui dedit ecclesie B. Stephani ecclesiam S. Martini. Fulcoius habet diem 20 Octobris in hocce epitaphio, ubi sepultum dicit in ecclesia Majori, quam de novo construxerat :

Hic pius antistes situs est Galterius, honesta  
Cui domus haec mater sponsaque salva fuit.

C Quam ne pœnitentia te clarum vota secundum  
Rem pretiumque tulit glorificata viro.  
Cum sit iners, inculta simul, cum nuda venusta,  
Erigit hanc quantum corpore, mente potest.  
Hanc novat, hanc ornat, cultuque reformat et artet.  
Hanc facil ecclesiam, diruta facta prius.  
Octobris bis dena dies fuit exitus ejus :  
Mæsta dies, qualis non fuit ante suis.